



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

IX. Et ex fortunis publicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

IX.
Et exfor-
tunis pu-
blicis.

Unici corpusculi humani confi-
deratio tantum profuit ad veri-
tatis cognitionem: non plus po-
terunt quotidiana spectacula populorum,
inter prospera & aduersa mirabili vicissi-
tudine transeuntium, cum indubitata ad-
ministrantis & iudicantis providentiæ te-
stificatione? Vident enim oculati omnes
in publicis plurimis eventibus digito DEI
scriptum, quod D. Augustinus annotavit
lib. 3. de Trinitate cap. 4. *Nihil fit visibiliter
& sensibiliter, quod non de interiore invisibili
atque intelligibili aula Summi Imperatoris aut
jubeatur, aut permittatur, secundum ineffa-
bilem justitiam premiorum atque poenarum,
gratiarum atque retributionum, in ista totius
creaturæ amplissimâ quadam immensâque re-
publica.* Orbis totius diluuium, Sodo-
morum ignes, Ægyptiacas plagas, Nabu-
chodonosoris emotam mentem, Baltassaris
prænuntiatum interitum, aliâque ejus-
modi publica supplicia, sacræ literæ Orbi
universo promulgavêre. Quia palàm pa-
trata, publicéque testata sunt, etiam Infi-
deles, quibus ea recitari contingit, fidem

adhibent, nec dubitant quin divinitus, & à Numine, res hominum sciente ac curante, acciderint. Sed non omnibus ista recitantur: neque enim sacrarum literarum voces ubique adhuc auditæ sunt. Non tamen defuere sua nationibus singulis, vel in imo barbarici sinu abstrusis, propria de Providentiæ divinæ regimine testimonia, per manus à majoribus tradita, vel ex monumentis repetita. Americano toto Oceano à nobis, & ab animorum cultura ad sæculum usque proximè præcedens semotam, habitant populi numero plurimi, linguis distincti, ingenio inculti, moribus efferi. Apud illos in Peruano regno natus Ynca Garcilassus scribit, pro certo passim haberi, narrarique, de natione quadam contermina, quæ cum se criminibus Sodomitarum vulgò tota contaminasset, eodem supplicio absumpta est, tactis de cælo exustisque ad unum omnibus, ut nihil de polluta ac scelerosa stirpe præter memoriam superesset. Tam spectabili ad omnes exemplo, excitatum in Americanis gentibus, quem na-

tura

tura aperuerat, inquinati mores obfuscarant, Numinis rectoris, iudicis, vindicis sensum ac metum.

X. *Elementorum ordo.* Transcendamus tantisper obvias illas ingeniis, quamvis hebetibus & obtusis, cogitationes: & philosophicis oculis mundi partes præcipuas, structuramque earum ac cursum intueamur. Terram pondus suum fixit, & centro circumligavit: cætera elementa pro ponderis sui portione ordinem quæque suum obtinent, inter se mirabili consonantia dissona. Terra frigida frigida aquæ vicina est: aquam humidam humidus aër contingit: calido aëri ignis calidus superfertur. Contra siccitas terræ humori aquæ opposita est: aquæ frigus aëris calori contrarium: humor aëris siccitati ignis inimicus. Si ex aliorum philosophorum sententia placebit aliter de elementorum numero, ordinéve, aut qualitatibus differere: si corpusculorum, varios in situs figurásque coagmentatorum, tria quatuórve genera in materiæ primæ & elementorum vicem substituere: mane-